DE GLOSSEMATIS VERIS ET FALSIS IN TACITI AGRICOLA.

COMMENTATIO CRITICA

QUAM SCRIPSIT IN PROGRAMMATE GYMNASII TESCHINIENSIS

Jos. Hülsenbeck.

TESCHINII
Typis Caroli Prochaska
MDCCCLVIII.

De glossematis veris et falsis in Taciti Agricola.



Cum superioribus saeculis, tum nostra praecipue aetate in recensendo et explicando Taciti Agricola multi viri docti et eruditi studium operamque posuerunt. Nominandi sunt: Ern. Dronkius, cuius opera adjuvante Jac. Clemente v. d. codex Vaticanus Nr. 4498 ex latebris protractus et excerptus est; deinde Waltherus, Walchius, Ritterus, viri de Agricola bene meriti. Optime autem meritus est, quod attinet ad criticam et exegeticam rationem, Fr. Wexius, qui novam et plenam collationem adornavit, cum in programmate Suerinensi anni 1840, tum in Agricolae editione, quae prodiit Brunsvigae anno 1852. His doctissimis viris antecedentibus venia mihi quodammodo opus est, quod ego quoque, tiro, conatus sum, de Agricola aliquid in lucem proferre. Institui enim in hac dissertatione disputare de glossis, quae insint in Agricola: divisi totam disputationem in duas partes; altera eaque priore parte agitur de veris glossematis i. e. de iis locis in Taciti Agricola, in quibus glossas re vera deprehendi putem: altera parte agitur de iis locis, quos, ut mihi videtur, Ritterus et praecipue Wexius injuste glossematis suspicione oneraverunt. Cum jam in scribenda hac dissertatione versarer, obvenit mihi fortuito Kritzii v. d. commentatio critica „de glossematis falso Taciti Agricolae imputatis,“ quae prodiit Erfurti anno 1857. Inspexi eam: magnopere doleo, quod eam non prius accepi; suo loco doctissimi viri sententias, quantum fieri poterat, attuli.

Ceterum facere non possum, quin ex animi sententia gratias agam Rittero, v. d. cuius operibus, quamvis saepius sententiae eius adversatus sim, vel maxime adjutum me esse profiteor.

CAPUT I.

De veris glossematis in Taciti Agricola.

Certe est valde difficile demonstrare, quomodo invectum sit glossema, quare id semper tenendum est, ne temere de hac re judicemus. Minime hac in re opinione praeiudicata duci debemus: minime ea, quae ipsi non satis intelligimus, tanquam adulterina ejicienda sunt; codicum eorumque optimorum auctoritas nobis in accipiendis glossematis semper plurimum valere debet et eo tantum loco librorum scriptura refutanda vel pro falsa habenda est, ubi aperta discrepantia vel singulis in verbis vel in sententiae ordine adest. Nullus Taciti Agr. editorum tanta cum audacia nonnullos locos et emendavit et pro glossis habuit, quam novissimus, Fr. Wexius[1]). Minime diligentiam, studium et merita hujus doctissimi viri de Tac. Agricola parvi aestimo: sane multum et in explicandis et in emendandis pluribus locis profuit — quod jam in praefatione dixi — sed in glossematis ostendendis ex mea quidem sententia audacior videtur. Quapropter in secundo capite conatus sum, aliquot Wexii sententias refellere.

Postquam iterum ac saepius Taciti Agricolam perlegi, duos tantum locos reperi, in quibus glossas re vera deprehendi putem. Alter invenitur capite nono: sunt haec verba: „Integritatem atque abstinentiam in tanto viro referre injuria virtutum fuerit.“ — Suspicor haec verba a lectore quodam ascripta esse ad explicanda verba, quae praecedunt: „tristitiam et arrogantiam et avaritiam exuerat.“ [2]) Recte haec jam monuit Ritterus, qui ad hunc locum dicit: [3]) „deprehende lector hominem delicatum, qui offendit in verbis proxime superioribus „avaritiam exuerat,“ avaritiae enim contraria est integritas atque abstinentia. Annotatio reprehendentis olim in margine ἀρχετύπου posita a proximis scribis in verborum contextum per inprudentiam recepta est. Tacitus, simplex et verus, ab ejusmodi fastidio longe abest, praecipue hoc loco, ubi si ista scripsisset, reprehenderet, quod modo admiserat.

---

[1]) C. Cornelii Taciti de vita et moribus Cn. Jul. Agricolae liber, ad fidem codicum denuo collatorum recensuit et commentariis enarravit. Fr. Carol. Wexius, Brunsvigae 1852.

[2]) Quae quidem verba Peerlkampio et Wexio interpolata videntur, cf. Wex. proleg. p. 104 — sed de hac re alio loco.

[3]) Taciti opera ad codd. antiquos exacta et emendata commentario critico et exegetico illustrata ed. Franciscus Ritter, tom. IV. Cantabrigiae 1848. p. 98 sq.

Magnum emblematis alieni signum peritis etiam verba „in tanto viro“ ostendent; ipse haud dubie scripturus fuit „integritatem atque abstinentiam referre,“ quamquam hoc quid sibi velit, multi lectores non percipient.“ Tacitus profecto non est is, qui longis ambagibus utatur, est simplex et scribendi concisam et obscuram brevitatem magnopere amat. Id quod verbis, quae nobis valde suspecta videntur, additur, jam antea proximis verbis exposuerat. Initio enim capitis dixerat: Agricola naturali prudentia, quamvis inter togatos, facile justeque agebat; et deinde... ubi conventus ac iudicia poscerent, gravis, intentus, severus et saepius misericors, ubi officio satisfactum, nulla ultra potestatis persona. Tristitiam et arrogantiam et avaritiam exuerat.“ Nonne his verbis praecedentibus illa (integritatem... injuria virtutum fuerit) prorsus supervacanea sunt? nonne prorsus eadem sententia in illis verbis negative — ut ita dicam — repetita est? Profecto! nam quid aliud significat vox „integritas,“ nisi eum, qui juste vivat! quid aliud vox „abstinentia,“ hoc loco significat, nisi eum, qui se abstineat ab iis vitiis, quae Tacitus paulo ante ab Agricola abiudicaverat? nonne reprehendit Tacitus hisce verbis id, quod modo admiserat? Quum igitur haec verba a simplicitate et brevitate Tacitei stili abhorreant, quum ad totum locum explicandum nil offerant, et praesertim quum ea cum illis, quae paulo antecedunt, minime cohaereant, sed prorsus contrarium significent: supervacanea et a quodam librario ascripta ducimus.

Alterum glossema invenitur capite decimo quinto: leguntur ibi haec verba:

Singulos sibi olim reges fuisse, nunc binos imponi, e quibus legatus in sanguinem, procurator in bona saeviret; aeque discordiam praepositorum, aeque concordiam subjectis exitiosam; „alterius manus centuriones, alterius servos vim et contumelias miscere.“

Est hic locus ab interpretibus valde vexatus: cod. Vatic. 3429 et cod. Ursini exhibent, teste Dronkio, hanc lectionem:.. „alterius manus, centurionis alterius servos, vim et contumelias miscere.“ — Gronovius conjecit.. „alterius manus, centuriones alterius vim rel., omissa voce „servos“. — Lipsius emendabat:... „alterum manus, centuriones, alterum vim et contum. misc.“ — Wexius sic scripsit:... alterius manum, centuriones alterius vim, rel. vocabulum „servos“ tamquam glossema exterminandum putat. Integram librorum scripturam retineri voluerunt Peerlkampius et Odofr. Müllerus, plerique cum his consentiunt, in his Halmius.

Recte Beckerus in adnotatione ad hunc locum dicit: „unam vocem ex tribus redundare, vel manus, vel centuriones, vel servos, quisque statim videbit.[4]) Ego cum Rittero v. d. vocem „manus“ pro glossa habendam esse censeo.

Jussa legati centuriones, procuratoris mandata servi exequuntur. Sic Tac. Ann. XIV. 31 dicit:... quod contra vertit, adeo ut regnum per centuriones (legati Suetonii), domus per servos (procuratoris Catonis Deciani) velut capta vastarentur. Discrimen, quod — ut Wexius[5]) contendit — intersit inter centuriones, qui isto in loco opponerentur servis et inter centuriones, qui nostro loco commemorarentur, parvi momenti est. Consentit Wexius cum Gronovio; vocabulum „servos“ tanquam glossema exterminandum putat, quod placuit plerisque editoribus. Intelligunt alterius (sc. procuratoris) manus (h. e. servos cohortemque eius) centuriones alterius (sc. legati) vim rel. Sed nemo — ut bene monuit Waltherus — unquam exemplis probavit, manus recte ita dici pro servis, et alterius manus, centuriones alterius apte invicem opponi. Nec procuratoris mentio priore, sed posteriore loco erat ponenda, quia paulo ante prior legatus, et deinde procurator nominatus est, quare vocabula alterius ... alterius ... nunc eodem ordine erunt intelligenda, neque procurator suis manibus, sed servorum ministerio grassari solebat. Ciceronis verba (in Verr. II. 10), quae Gronovius ad explicandum nostrum locum affert, recte jam a Walchio,[6]) Rittero et Wexio refutata sunt. Ciceronis verba haec sunt:... „comites illi tui delecti manus erant tuae, praefecti, scribae, medici, accensi, haruspices, praecones manus erant tuae: quo quisque te maxime cognitione, affinitate, necessitudine aliqua attingebat, ita maxime manus tua putabatur: cohors tota illa tua, quae plus mali Siciliae dedit, quam si centum cohortes fugitivorum fuissent, tua manus sine controversia fuit.“ Quibus in verbis vox „manus“ prorsus aliam significationem habet: significat enim corporis manus, sed non cohortem aliquam. Ritterus, cuius sententia de nostro loco mihi valde probabilis videtur, haec pro explicatione addit: „propter vicinum alterius proximum nomen centuriones scribae imprudentia assimilatum est centurionis. Jam genitivi regimen quum deesset, corrector

---

[4]) Taciti de vita et moribus Agr. libellus recensuit et ad fidem cod. Vatic. emendavit notasque adspersit J. H. Becker, Hamb. 1826.

[5]) cf. prolegomena p. 119.

[6]) Tacitus Agricola: *Urschrift, Uibersetzung, Anmerkungen und eine Abhandlung über die Kunstform der antiken Biographie durch J. L. Walch Berlin 1828.* cf. de nostro loco p. 221.

structurae, quam sententiae sustinendae curiosior in libro antiquo addidit manum, quippe opinabatur, centurionem contumeliose vocari legatum consularem.“ Wexius valde contra hanc sententiam disputat.[7]) Dicit enim: primum nemini in mentem venire poterat voci „servos“ interpretamentum adjicere „manum“; deinde: „ita turbatur chiasmus, quem non Cicero modo, sed etiam Tacitus valde amat.“ — Ad refutandam Ritteri sententiam his verbis non multum aut nihil omnino dictum est: nam profecto Rittero nunquam in mentem venit, tali modo locum explicare; quo enim verbo Ritterus contendit, voci „servos“ tanquam interpretamentum adjectum esse „manum?“ Chiasmus sane turbatur hoc loco, sed hoc profecto parvi momenti est: inveniuntur multa exempla non solum apud Tacitum sed etiam apud Ciceronem, in quibus chiasmus turbatus est.

CAPUT II.

De falsis glossematis.

Postquam Tacitus in prooemio causas cur scripturus esset hunc librum nobis exposuit, capite quarto ad rem ipsam tractandam progreditur.

> Cn. Julius Agricola vetere et illustri Forojuliensium ortus, utrumque avum Procuratorem Caesarum habuit: „quae equestris nobilitas est.“

Ita in omnibus codicibus legitur. Jam Weikertus oneravit verba „quae equestris nobilitas est“ — glossematis suspicione: quidquid significant haec verba, inquit, satis id notum erat legentibus. De tam lubrico argumento ne verbum quidem amittimus. Post Weikertum Wexius summo ardore haec verba impugnat.[8]) Refutat primum Walchii sententiam de hoc loco, deinde Waltheri sententiam et haec de his verbis dicit:... ex his omnibus apparet novitiae originis esse hoc additamentum, intrusum ab homine satis docto, qui sciret, procuratores, qui non equites essent, equestrem dignitatem sibi et suae genti procurasse. — Videamus, quid sit tribuendum Wexii sententiae.

Primum Wexius negare non potest, in omnibus codicibus verba „quae equestris nobilitas est,“ inesse: hoc profecto eum certe cautiorem in judicio reddere debebat: deinde eius ratiocinatio ex mea quidem sententia non est tam firma neque tam vera, ut Walchii

---

[7]) cf. prolegomena p. 120.

[8]) cf. prolegomena p. 112.

sententia refutetur. Est revera discrimen inter equites, quod satis dilucide Walch.[9]) demonstravit et Wexius quoque concedit.[10]) Affert Walch. recte Dionis Cassii verba l. LVI., c. 27. p. 285. Reim. „*τοῖς ἱππεῦσι τὴν δημαρχίαν αἰτῆσαι ἐπέτρεψε,*“ et Caligulae jussum anni 1791, quod invenitur apud Dio. Cassium LIX., c. 9. p. 912. Reim. „*Τοῦ τέλους τοῦ τῶν ἱππέων ὀλιγανδροῦντος, τοὺς πρώτους ἐξ ἁπάσης (καὶ τῆς ἔξω) ἀρχῆς τοῖς τε συγγενέσι, καὶ ταῖς περιουσίαις μεταπεμψάμενος κατελέξατο. Καί τισιν αὐτῶν καὶ τῇ ἐσθῆτι τῇ βουλευτικῇ, καὶ πρὶν ἄρξαι τινὰ ἀρχήν, δι' ἧς ἐς τὴν γερουσίαν ἐσερχόμεθα χρῆσθαί τι ἐπὶ τῇ τῆς βουλῆς ἐλπίδι ἔδωκεν.* —

Eligebantur procuratores ex equitibus;[11]) equites hoc honore ad altiorem gradum perveniebant, laticlavii dicebantur, vel equites illustres. Nostro loco Tacitus nil aliud dicit, nisi illam dignitatem (Caesaris procuratoris) ad altiorem gradum „illustris equitis“ perducere. Bene hoc jam monuit Walch. l. c. Sed, inquit Wexius, ante omnia id demonstrandum est, procuratoris munus tale fuisse, quo functi equites insigni illo cognomine cohonestarentur! Quamquam hoc exemplis quidem probari non potest, tamen re ipsa est manifestum. Aderant procuratores, qui vice praesidis in provinciis jus dicebant; satis dilucide hoc elucet ex Dio. Cass. verbis LX., 9 et ex Tac. hist. I., 11 („Aegyptum... jam inde a divo Augusto, equites Romani obtinent loco regum;) quid significant ultima verba aliud, nisi illos equites, qui procuratores erant, tantum dignitatis habuisse, ut nihil prope, nisi nomen regium defuerit? Nonne illi procuratores insigni illo cognomine cohonestabantur? Quo autem jure Wexius contenderit, eos equites, qui ad altiorem gradum atque senatorium ordinem adspirassent, procuratoris munus evitasse et respuisse, perspicere non possum.[12]) Retineo igitur codicum omnium scripturam.[13])

---

[9]) Cf. Walch. Tac. Agr. p. 135 et 136.

[10]) Cf. Wex. prolegomena p. 112.

[11]) Cf. Ferd. Walter *röm. Rechtsgeschichte* l. 1. cap. XXVIII. p. 298.

[12]) Bene disseruit de significatione vocis nobilitatis Frider. Kritzius. v. d. in commentatione critica: pag. 6 dicit haec: nobilitatis vocabulum hic non antiquo illo et, ut ita dicam, politico sensu positum est; sed ut nobilis adiectivum non solum certam conditionem civilem, sed etiam praestantiam in universum designat, ita idem de substantivo valet.

[13]) De procuratoris muneribus dicit F. Walter haec: (lib. 1. C. XXI. p. 317 *römische Rechtsgeschichte) Quästoren gab es in den Provinzen des Kaisers nicht; statt deren wurde in jede ein besoldeter Procurator aus den Rittern oder kaiserlichen Freigelassenen geschickt, der die Abgaben und Einkünfte für den Princeps erhob, den Truppen die Löhnung aus-*

CAPUT V.

Taciti Agricolae.

Prima castrorum rudimenta in Britannia Suetonio Paulino, diligenti ac moderato duci, approbavit: electus, quem contubernio aestimaret. Nec Agricola licenter more juvenum, qui militiam in lasciviam vertunt, „neque segniter" ad voluptates et commeatus, titulum tribunatus et inscitiam retulit...

Pro virili parte viri docti conati sunt, verba „neque segniter" interpretationibus atque emendationibus persanare. Beckerus mutat collocationem verborum et conjungit ea in hunc modum:... ad voluptates et commeatus et inscitiam titulum trib. retulit. Walch. consentit cum Beckero et pro commentario lineolam ponit ante inscitiam, sic: et — inscitiam retulit. Doederlinus hoc modo verba explicat: nec Agricola mor. juv. qui... vertunt (sc. egit) neque segniter ad voluptates et commeatus et inscitiam titulum tribunatus retulit. Hermannus in Museo Rhenano ed. Ritschelio tom. II. p. 588 verba illa hoc modo interpretatur: nec Agricola licenter more juvenum, qui militiam in lasciviam vertunt, (scilic. militiam in lasciviam vertit) neque segniter ad voluptates et commeatus (scilic. militia conversa) titulum tribunatus et inscitiam (scilic. domum) retulit. Wexius denique ista verba pro glossemate habet. Frustra omnia: ex mea quidem sententia nil est mutandum in illis verbis, nam inest in iis prorsus sana sententia. Sed accuratius inspiciamus totum locum. In iis, quae antecedunt: „prima castrorum rudimenta in Britannia Suetonio Paulino, diligenti ac moderato duci, approbavit, electus, quem contubernio aestimaret" — bene, ut jam monuit Wexius, J. A. Ernesti interpretatur ultima verba: „quem in contubernium adsumptum exploraret." Falso postulat Walch. *in* vel *ex* contubernio: non inest in Ernesti explicatione verborum ambiguitas, ut Walch. putat: ablativo enim „contubernio" significatur, ut bene Wexius contendit — „qua ratione et Suetonio locus datus sit explorandi adolescentis et Agri-

---

zahlte und die kaiserlichen Kämmereigeschäfte besorgte. Seit Claudius war mit diesem Amte auch die Jurisdiction über die Sachen des Fiskus verbunden. (Cf. Tac. Ann. XII. 60. Suet. Claud. 12 fr. 84. 19.) *Zuweilen wurden auch Provinzen durch Procuratoren mit den Vollmachten der Praesides regiert, besonders die kleineren* (cf. Dio Cass. LX. 9. Tac. hist. I. 11). *Hierauf geht die Unterscheidung zwischen den gewöhnlichen Procuratoren und denen, die* vice praesidis *waren.*

colae virtutis suae duci approbandae.[14]) Aestimare recte explicat Ecksteinius ... aestimare aliquem est cognoscere alicuius virtutem, qualis vel quanta sit,“ ratio aestimandi exprimitur addito ablativo. Reperiuntur multa exempla, quibus verbum „aestimare“ hanc vim habet: ut Liv. VII. 32. Ne Sidicinorum Campanorumque cladibus Samnitium aestimarent virtutem Liv. XXII. 8 „Civitati, quodcumque acciderit, non rerum magnitudine, sed viribus extenuatis aestimandum esse: apud Tacitum Hist. IV. 73. Omnia apud vos bonaque ac mala non sua natura, sed vocibus seditiosorum aestimantur. Ann. XI. 26. Ne scelus intra ancipitia probatum mox veris pretiis aestimarent.[15]) Videamus jam de verbis „neque segniter“ Wexius, ut jam dixi, haec verba delenda putat; ex mea quidem sententia summa cum audacia. Contendit ille, non esse latinum dicere, nec Agricola licenter-neque segniter, Tacitum scribere certe debuisse „aut segniter“ ... deinde vocem „segniter“ non cohaerere cum voce „ad voluptates,“ sed cum voce „ad commeatus.“ Potuit sane Tacitus scribere „aut segniter, sed non debebat; et si non debuit, quid mutemus lectionem contra codicum scripturam? potuit etiam negationem repetere, et propter longam quidem sententiam interiectam: „more iuvenum, qui militiam in lasciviam vertunt“ respondent sibi particulae nec-neque optime. Eadem est ratio horum exemplorum: Liv. II. 32, conspirasse (membra), ne manus ad os cibum ferret, nec os acciperet datum nec dentes, quae conficerent; Liv. IV. 4, cur non sancitis, ne vicinus patricio sit plebeius, nec eodem itinere eat; V. 3, interdicitis patribus commercio plebis, ne nos comitate provocemus plebem, nec plebs nobis dicto audiens sit; Liv. II. 24, nec ... aut plebi honestum, neque patribus decorum. Exempla, quae Wexius ipse affert, mea sententia ejusdem sunt rationis. Sunt haec: Cic. de natura Deorum III. 35. „At enim minora dii negligunt, nec agellos singulorum, neque viticulos persequuntur; Cic. de orat. III. 30. „Non enim solum acuenda nobis neque procudenda lingua est, sed onerandum complendumque pectus maximarum rerum copia et varietate. Liv. XXXII. 21 ... an tibi potius credamus, Romanos non maioribus copiis nec viribus nunc bellum gerere quam antea gesserint?[16])

---

[14]) Wex. prolegom. p. 133 sq.

[15]) Vid. exempla, quae affert Wex. in proleg. p. 134.

[16]) Cf. Kr. commt. crit. pag. 8. „Denique non concedi potest Wexio, nec-neque particulas sibi non respondere, quia prius „nec“ totum enunciatum cum antecedente copulet. In promptu est enim primae periodo alteram sine junctura addi.“

Quod attinet ad Wexii opinionem, vocem „segniter" non cohaerere cum seq. voce „ad voluptates," hoc omissum est, ut vocabulum „segniter" minime ad vocem „voluptates" sit referendum; segniter spectat ad „commeatus," licenter ad „voluptates;" ut enim Wexius ipse (proleg. p. 137) contendit, segnities minime cadit in illos adolescentes, qui voluptates sectantur; licenter sane voluptatibus illi juvenes dare se poterant, sed non segniter: si enim segniter voluptatibus se dedissent, tum his in verbis non esset objurgatio, quae tamen inesse debet ex totius loci sensu. Dicit enim Tacitus, Agricolam, quamvis sine magna difficultate ad voluptates et commeatus veniam a duce impetrasset, tamen illis commodis abuti noluisse — quod recte ad explicandum hunc locum affert Ritterus tom. IV. pag. 92: non egisse Agricolam more juvenum, qui non segniter (h. e. libenter) commeatus (i. e. veniam absentiae a signis concessae ducum, per causam quamcunque) et licenter (h. e. lascive) voluptates sectarentur. Quodsi ita haec verba acceperis, nil offensionis inerit.

CAPUT IX.

Taciti Agricolae.

Agricola naturali prudentia quamvis inter togatos facile justeque agebat; jam vero tempora curarum remissionumque divisa; ubi conventus ac iudicia poscerent, gravis, intentus, severus et „saepius misericors," ubi officio satisfactum nulla ultra potestatis persona.

Ita in omnibus codd. legitur. Wexius his in verbis vocabula „et saepius misericors" pro glossa habuit. Unde hoc glossema venerit, ego perspicere non possum. Sed videamus, quid dicat Wexius:[17]) „Non agitur hoc loco-inquit ille-quo animo juris dictionem exercuerit Agricola, utrum aspere an clementer in eo versatus sit, utrum juris rigore usus sit an misericordia; istud quidem jam antea transactum erat, nunc universe de curarum negotiorumque temporibus agitur" — sed quaeritur, num hoc verum sit. Minime ut mihi quidem videtur. Certe hoc loco agitur, quo animo juris dictionem exercuerit Agricola: quidnam significant verba „conventus ac judicia?" Conventus juridicos, in quibus jus dicebatur.[18]) Judicia poscunt etiam misericordiam et aptissime adduntur verba „et saepius misericors," ne Agricolae inter gravitatem et severitatem desit virtus judici pernecessaria.[19]) Eodem jure, quo

---

[17]) Cf. Wex. proleg. p. 106.

[18]) Cf. F. Walter *röm. Rechtsgeschichte* lib. I. cap. XXII. p. 228. et seq.

[19]) Cf. F. Walter *röm. Rechtsgeschichte* l. IV. c. 3. p. 734.

usus est Wexius, contendi possit, verba „ubi conventus ac judicia poscerent, gravis, intentus, severus“ supervacanea esse, nam istud quoque ex Wexii sententia jam antea transactum erat verbis „inter togatos facile justeque agebat.“ — Sed si etiam Wexio concederemus, hoc loco universe de curarum negotiorumque temporibus agi, nonne tum quoque haec verba „et saepius misericors“ aptissime adderentur! Profecto, tunc, ut mihi videtur, majori cum jure! — Alii interpretes postulant „sed saepius misericors.“ Hoc non opus est; saepissime enim confunduntur haec vocabula inter se: vid. Boetticheri lexic. Tacit. in particula „et;“ ubi haec afferuntur exempla: Tac. Ann. I. 13. Gallum Asinium, avidum et minorem, V. 3. litterae, quas pridem adlatas et cohibitas ab Augusto credidit vulgus, hist. II. 20... speciosis et irritis nominibus, Liv. I. 37. montes effuso cursu Sabini petebant, et pauci tenuere. Exempla e Cicerone collecta vide in Matthiae orat. Cic. p. 229 in addendis.

Eodem capite Wexius[20]) verba „tristitiam et arrogantiam et avaritiam exuerat“ delenda putat. Jam Tanaq. Faber haec verba deleri voluit epist. II. 18, etiam Peerlcampius pro glossemate habuit. Walchius contendit, illa non esse vitia: „tristitia, ait ille, *ist der Ernst, die abgemessene Kälte des Staatsmannes, welche Rang und Verhältniss fordert; eben so wenig ist* arrogantia *eine Anmassung, welche nimmt, was ihr nicht zukommt, vielmehr, welche nichts, was ihr gehört, aufopfert auch das kleinste nicht;* avaritia *ist die strengste von* Vespasian *gebotene Genauigkeit.*“ Quamquam valde ingeniosa est haec ratiocinatio, tamen ferenda non est, sunt enim vitia, multis exemplis hoc evinci potest: cf. Plinii ep. VIII. 21 ... pulcherrimum et honestissimum existimo, severitatem et comitatem miscere, ne illa in tristitiam, haec in petulantiam procedat, I. 10... nullus horror in vultu, nulla tristitia, multum severitatis. Ciceronis orat. II. 58... tristitiam et severitatem mitigare ac relaxare. Wexius affert haec exempla (prleg. p. 104): Senecae de ir. I. 16, tantumque a magnitudine animi ira, quantum a fortitudine audacia, a fiducia insolentia, ab austeritate tristitia, a severitate crudelitas, ibidem II. 6... iracundiae tristitia comes est. Taciti hist. I. 38... ac ne qua saltem in successore Galbae spes esset, accersit ab exilio, quem tristitia et avaritia sui simillimum judicabat, I. 14... aestimatione vera severus, deterius interpretantibus tristior habebatur. Proprium etiam vocabulum est de affectata morum severitate: cf. Quint. Just. prooem. 15 ... sed vultum et tristitiam et dissen-

[20]) Cf. Wex. prolegom. p. 104 et seq.

tientem a ceteris habitum pessimis moribus praetendebant. De arrogantia cf. Tac. hist. I. 51 ... super avaritiam et arrogantiam praecipua validiorum vitia ... Ann. I. 10, quoniam arrogantiam saevitiamque Tiberii introspexerat. Ann. XIII. 2 ... Pallas tristi arrogantia — taedium sui moverat. De avaritia cf. Cic. orat. II. 40 ...: avaritiam si tollere vultis, mater eius est tollenda, luxuries. —

Avaritia est cupiditas habendi, aviditas, vid. Cic. Tusc. 4, 11 ... est avaritia opinatio vehemens de pecunia, quasi petenda sit inhaerens et penitus insita. — Wexius contendit, „qui vitia quaedam exuit, is antea iis laboraverit necesse est." Hoc primo quidem adspectu verum videtur: sed videtur tantum. Nam exuere, quamquam oppositum est verbo induendi, tamen, quum translate dicitur, etiam significat, nos omnino liberos esse ab aliqua re. Recte Waltherus laudavit hist. II. 86. Fuscus prima iuventa senatorium ordinem exuerat (h. e. cum posset senator fieri ob dignitatem familiae suae, abstinuit) et Ann. VI. 25 ... Agrippina dicitur virilibus curis feminarum vitia exuisse; ad quem locum explicandum haec affert, quod non intelliges tamquam Agrippina ante feminarum vitiis fuerit obnoxia, sed scriptor dicit, Agrippinam quamquam feminam a feminarum vitiis fuisse liberam. Ita nostro quoque loco Agricola ab istis vitiis liber fuisse dicitur. Significatio exuere verbi — liberum esse ab aliqua re non sita est in plusquamperfecto, ut Rothius interpretatur, sed in ipso verbo et fortasse ex graeco fonte manavit, ut jam Dronkius monuit: „Sic Demosth. ad. Leptin. §. 1. φήσει δ' ἀναξίους τινὰς ἀνθρώπους εὑρομένους ἀτέλειαν ἐκδεδυκέναι τὰς λειτουργίας, et in Plat. Cratylo 426, A. ἐκδύσεις sunt effugia."[21])

CAPUT XII.

Taciti Agricolae.

... solum praeter oleam vitemque et cetera calidioribus terris oriri sueta patiens frugum „fecundum," tarde mitescunt, cito proveniunt.

Sunt interpretes, qui hunc locum sic distinguunt solum ... sueta patiens, frugum fecundum — ut Waltherus. Ad vocem „patiens" intelligit ea, quae terris oriri solent *(Gewächse)*, ut sententia sit oleam vitemque et cetera calidioribus terris oriri solita solum

---

[21]) Quod attinet ad Wexii sententiam, non comparari Agricolam hoc loco cum aliis praesidibus, explicari tantum, qualis ipse fuerit in officio, qualis, ubi officio satisfactum; deinde tristitiam, arrogantiam, avaritiam vitia esse quovis praeside indigna, bene eam refutavit Kritzius comm. cr. pag. 10.

Britanniae non patitur, ceterorum, quae aliis terris oriri solent, patiens est, inprimis frugum, quarum non tantum est patiens, sed etiam fecundum. Doederlinus suppleri vult „arborum“ et Ritterus illud in ipsum verborum contextum recepit; sic distinguit ille: solum... sueta patiens arborum, frugum fecundum. Quamquam ellipsis illa audacissima est, tamen ego cum Wexio non contenderim, eam omnino ferri non posse, praesertim, quum distinctio cod. Vatic. 3429 significet, deesse aliquid. Wexius[22]) contendit; vocem „fecundum“ delendam esse. Frustra omnia; vulgaris loci distinctio nil offensionis habet, eamque ego cum Ernest. Walch. et Dronk. retineo, et sic locum distinguo: „Solum... sueta, patiens frugum, fecundum; non video, hanc scripturam esse contortam — ut Waltherus dicit. Recte Ernt. interpretatus est locum: „non modo accipit cultum Britannia, sed etiam copiosas fruges effert.“ Jam apud recentiores scriptores laudatam invenimus Britanniae fecunditatem: Sic Virdungus docet e Zosimo III. 5, Britanniam longum per tempus fuisse cellam penariam occidentalis imperii (cf. etiam Ammianum Marcellinum XVIII. 23, Pomp. Mel. III. 6, 4) — Contra haec monuit Wexius, si hoc modo locus explicaretur, scribendum esset, „ac“ fecundum vel „atque etiam“ — frustra: Nam saepissime Tacitus conjunctiones omittit — ut hist. I. 3, laeta, tristia, ambigua, manifesta: hist. I. 73... apud Galbam, Othonem, Vitellium inlaesa. Ann. IV. 46... bellumque impeditum, arduum, cruentum minitabantur. Similiter multis aliis locis.

CAP. XVI.

Taciti Agricolae.

Trebellius, fuga ac latebris vitata exercitus ira, indecoris atque humilis, precario mox praefuit, ac veluti pacti exercitus licentiam, dux salutem; „et seditio sine sanguine stetit.“

Wexius ultima verba „et seditio sine sanguine stetit“ pro glossemate habuit — Falso — Inspiciamus totum locum. Puteolanus, et post eum multi alii interpretes locum sic distinguunt: ... ac veluti pacti, exercitus... salutem: haec seditio sine sanguine stetit. Ad vocem „pacti“ suppleri voluerunt „essent;“ refutanda erit ista opinio, quod recte jam monuit Walch. et Wex. satis dilucide exemplis demonstravit: nunquam „essem“ ubi vere est conditionale aut finale, omitti posse;[23]) est hoc loco „sunt“ supplendum.

[22]) Cf. Wex. prolegom. p. 99.
[23]) Cf. Wex. prolegom. p. 115.

Similia exempla affert Wexius l. c. — Videamus jam de verbis „et seditio sine sanguine stetit“ — Ex mea quidem sententia nil est mutandum in illis verbis, praesertim quum in codic. Vatic. 3429 insit haec scriptura. Inest in illis verbis sana sententia neque repugnat grammatica ratio. Particula „et“ habet vim conclusivam et explicanda est, et ita, et sic, *(und so)* cf. Hand. Tursell. II. 484: facillime etiam „et“ in „ita“ mutari potuit. Wexius monuit haec: „si belli impetus, si seditio stare dicitur, tum semper cogitandae sunt res et impedimenta, quae impetum retardarint, et cursum prohibuerint, quin continuaretur — Hoc in universum non est verum: At nostro loco sunt ejusmodi etiam res, quibus seditio sedaretur: inest causa in ipsa Trebellii ratione, „comitate quadam provinciam tenuit“ — „fuga ac latebris vitata exercitus ira“ — et ita (i. e. Trebellii opera) seditio stetit. Sed verbum stare non est, quod subsistit, cessavit, sed de pretio intelligendum est, ut in formulis magni, pluris stare. Si ita locum interpretamur, verba „sine sang. st.“ nil offensionis habent. Reperiuntur etiam exempla: magno stetit pretio Hor. sat. I. 2, 122 — „heu quanto regnis nox stetit una tuis?“ Ovid. 2, 812 — centum talentis eam rem Achaeis stetisse Liv. 34, 50 „multo sanguine victoria stetit“ id. 23, 30 tantulo impendio victoria stetit. Curt. 3, 11, 27; apud Tacitum hist. III. 33 majore damno veteres civium, discordias rei publicae stetisse. Liv. XXIII. 60... haud scio an magno detrimento certamen staturum fuerit — Quae quidem exempla Wexius prorsus alia habet, sed non video differentiam; si, ut Wexius concedit, dici potest, multo sanguine ac vulneribus victoriam aliquam stare, aut nullo sanguine stare, tum profecto dici potest, sine sanguine stare. —

CAP. XXII.

Taciti Agricolae.

... Adnotabant periti, non alium ducem opportunitates locorum sapientius legisse: nullum ab Agr. positum castellum aut vi hostium expugnatum, aut pactione ac fuga desertum; „crebrae eruptiones:“ nam adversus moras obsidionis annuis copiis firmabantur. Ita intrepida ibi hiems, et sibi quisque praesidio, irritis hostibus, eoque desperantibus, quia, soliti plerumque damna aestatis hibernis eventibus pensare, tum aestate atque hieme juxta pellebantur.“

Verba „crebrae eruptiones“ Wexius[24]) pro glossa habet:

[24]) Cf. Wex. prolegom. p. 131.

Sententiarum nexum misere conturbari interpositis verbis „crebrae eruptiones.“ Largiamur quidem Wexio, totius loci constructionem esse duram: ut vero hac de causa illa verba: crebrae eruptiones contra codicum auctoritatem sint exterminanda, hoc concedere non possum; prorsus necessaria mihi haec verba videntur, ad explicanda ea, quae sequuntur, „tum aestate atque hieme juxta pellebantur.“ Nonne haec verba ad superiora „crebrae eruptiones“ sunt referenda? Recte Dronkius explicat illa verba: crebrae eruptiones, quae semper et per aestatem et per hiemem fiebant. Peerlcampius sic verba transponit: et sibi quisque praesidio: crebrae eruptiones irritis hostibus — et hiems erat intrepida. — Ad explicandum addit: „Quin etiam hieme faciebant eruptiones, quum antea per hiemem in castellis latebant, et Britanni damna aestatis pensabant. Nunc et aestate, ut olim, et hieme, quod novum erat, iuxta pellebantur. Transpositione non opus est. Inest enim in vulgari lectione sana sententia: Recte Waltherus:... crebris nimirum eruptionibus, quas per hiemem factas esse facile conjicies, hostes ad castellorum obsidionem poterant incitari, at vero imprudenter egissent Romani, nisi adversus obsidionis moras copiis h. e. commeatu, frumento satis firmati fuissent.“ Hisce crebris eruptionibus commeatum, frumentum sibi parabant, itaque hostes, ut olim aestate, nunc hieme quoque pellebantur.

CAP. XXX.

Taciti Agricolae.

Nos terrarum ac libertatis extremos, recessus ipse ac sinus famae in hunc diem defendit, nunc terminus Britanniae patet: „atque omne ignotum pro magnifico est.“

Haec est scriptura codicum. Mirum in modum hic locus ab interpretibus est vexatus: Lipsius explicat: defendit nos, quod longinqui, occulti et vix fama noti fuimus (in sinu famae conditi). — Fr. Gronovius probat hanc explicationem, progrediens enim is a dicendi formulis „ultra famam exigere,“ intra famam habitare“ contendit, sinum esse partem secretam et locum maxime remotum (ut de Germ. c. 29), intelligendum igitur esse: sinum ac recessum orae habitabilis — Walch. refutat hanc explicationem et novam addit: accipit enim vocem — recessus famae — de fama e conspectu Britannorum in remotissimas terras recedente: sinus famae de fama sinum quasi sermonibus praebente, et ita locum vertit: „*Uns das letzte Volk des Erdkreises und der Freiheit, hat unser Name, der aus dem Anblick der Britanner in weiteste Ferne sich zurückzog,*

und der Fama gleichsam den Busen öffnete, bis auf den heutigen Tag geschützt." Sane ingeniosa, sed tamen non ferenda explicatio! — Alii interpretes locum coniecturis persanare volebant: Rhenanus scribebat pro famae — fama, casu sexto, i. e. per famam defendit; qua in coniectura acquieverunt Muret. Boxh. Gesner. — Transponebant haec verba Acidalius et Broterius, ille vel: recessus ipse ac sinus famae vel fama (namque omne ignotum pro magnifico est) in hunc diem defendit; nunc term. Br. pat.; vel ita: recessus ipse ac sinus in h. d. def. Famae, namque omne ignotum pro magn. est; nunc term. Br. patet. Hic in hunc modum: sinus famae in hunc diem defendit, atque omne ignotum pr. magn. est: sed nunc term. Br. patet — Boxh. situs pro sinus volebat. — Ego cum Wexio, cuius sententia de nostro loco mihi valde probabilis videtur, vocem „sinum" per metaphoram pro praesidio dictum accipio. Satis Wexius hanc dicendi rationem exemplis illustravit: ut Senec. ep. 103 „quantum autem potes, in philosophiam decede, illa te sinu suo proteget: in huius sacrario eris aut tutus aut tutior. Cic. Tusc. V. 25 ... in philosophiae sinum, quum a primis temporibus aetatis nostra voluntas studiumque nos compulisset, his gravissimis casibus in eundem portum — confugimus — alia his similia exempla v. ap. Wexium.[25]) Hoc modo aptissime cohaerent haec verba cum iis, quae sequuntur, nunc term. Br. patet. Nunc id unum reliquum est — ut bene interpretatur Wex., ut quales habiti simus, tales nos praebeamus factis.[26]) Altera difficultas inest in verbis „a t q u e o m n e i g n o t u m p r o m a g n i f i c o e s t." — Pro „atque" scribebat Rhenanus „atqui" — Gesn. Walch. et alii recipiebant hanc scripturam. Sed recte jam a Walthero et nuper etiam a Wexio refutata est. „Atque" duas coniungit sententias, quae eodem modo se excipiunt, quo supra recessus ac sinus famae. Wexius ista verba pro proverbiali locutione habet; sed hoc modo perturbatur loci sententia. Ritterus verba glossematis suspicione oneravit. Contendit enim,[27]) verba „atque omne ign. pro magn. est," in margine a scriba quodam adiecta esse ad explicanda verba „recessus ipse ac sinus famae defendit." Hac in re cum Rittero consentire non possum. Nam profecto verba „atque omne ignotum pro magnifico est" addunt

---

[25]) Cf. Wex. proleg. p. 128 et annotationem ad nostrum locum p. 282.

[26]) Ad illustrandam sententiam Wexius ita eam describit: *Bisher schützte uns unsere abgeschiedene Ferne und der bergende Schoos des Rufes (mit seinem Nimbus), jetzt ist das Heiligtum geöffnet und der Nimbus zerstreut und mit ihm die heilige Scheu vernichtet.* Bene!

[27]) Cf. Fr. Ritter Tac. oper. tom. IV. p. 130.

novam et multo graviorem quidem causam, quam verba, quae antecedunt „recessus ac sinus.“ Similiter dicit Thucydides VI. 11, „τὰ γὰρ διὰ πλεῖστον ἴσμεν θαυμαζόμενα καὶ τὰ πεῖραν ἥκιστα τῆς δόξης δόντα.“ Porro non intelligo, quomodo deletis istis verbis verba „nunc terminus patet“ et quae sequuntur „sed nulla jam ultra gens“ inter se cohaereant! Ego neque mutandum hoc in loco quidquam nec pro glossa habendum esse censeo, et sic eum explico: Romani ad ultimos Britanniae fines (ad Caledoniam) accedunt — (nunc terminus Britanniae patet): incolae quales et (quot) sint, nesciunt, plurimi autem eos aestimant, quum fama de ignotis maior esse soleat (atque omne ignotum pro magn. est). Calgacus igitur stimulum virtutis his verbis civibus addit, quum ultra nulla sit terra, quo ipsi refugiant. Bene Waltherus ad explicandam sententiam affert Liv. XXVIII. 44. Ad hoc major ignotarum rerum est terror. Bona malaque hostium ex propinquo ingressus fines aspicias.

CAP. XXXV.

Taciti Agricolae.

Legiones pro vallo steterunt, ingens victoriae decus, „citra Romanum sanguinem bellandi,“ et auxilium, si pellerentur.

His in verbis Wex. vocabula „citra Rom. sanguinem bellandi“ pro glossemate habet. Contendit enim additamentum illud prorsus supervacaneum tautologiam habere; verba illa „pro vallo steterunt“ nihil aliud significare, nisi sine Romano milite pugnatum esse; Tacitum certe scribere debuisse „citra Rom. sanguinem vincendi. — Consentire cum eo non possum. Nam primum non inest verbis in illis tautologia: pro vallo stetere sane est non in aciem descendere, sed hoc loco, ubi Tacitus tanta cum vi pugnam ipsam describit, profecto rationem et firmam quidem habuit, addendi illa verba „citra Romanum sanguinem bellandi.“ — Victoriae decus non hypothetice dictum est, sed confirmantur haec verba vocabulis, quae sequuntur „citra Romanum sanguinem bellandi.“ — Exempla, quae affert Wexius,[28]) alius prorsus generis sunt. Eodem jure Wexius contendere possit, verba „si pellerentur“ supervacanea esse. Qua re non dici possit, citra sanguinem bellare, ego perspicere

[28]) Bene disputat contra Wexium Kritzius in commt. critica saepe iam laudata pag. 16 „nihil hac sententia (legiones pro vallo stetere et citra Rom. sang. belli tautologiam esse) falsius: nam qui pro vallo stabant, non eo consilio stabant, ut non in aciem descenderent, sed ut, si opus esset, pugnantibus auxilium ferrent. In stando igitur non fuit decus illud, quod legiones victoriae

non possum. Nam si dici potest, ut Wexius concedit, citra sanguinem vincere, tum profecto dici etiam potest, citra sanguinem bellare. Converto hunc locum sic: *„hoher Ruhm beim Siege, wenn ohne Römerblut (zu vergiessen) gekämpft wurde.* — Quod attinet ad scripturam bellan*di* aut bellan*ti*, nolo negare, bellanti quoque ferri posse, tamen ego retineo veterum librorum scripturam et cum Walthero gerundium pro infinitivo positum explico. Similia exempla v. apud Walth. et Wexium in annotationibus ad nostrum locum.

Eodem capite Wexius vocabulum „simul" delendum putat; sunt haec Taciti verba:

> Tum Agricola, superante hostium multitudine veritus, ne simul in frontem, simul et latera suorum pugnaretur.

Duo sunt, in quibus offendit Wexius: primum, ubi Latini, inquit, simul — simul dicunt, ibi semper praepositio utrique nomini adjicitur; scribendum igitur erat, in latera: deinde simul—simul et — alienum est a consuetudine Latinorum.

Non intelligo, quomodo Wexius pro suo critico ingenio levissimis in rebus offendere possit! Nil offensionis inest illis in verbis. — Exstant exempla non modo apud Tacitum et Livium, sed etiam apud Ciceronem, in quibus praepositio non repetita est: ut Tac. Ann. VI. 51 . . . quamquam mater in Liviam et mox Juliam familiam adoptionibus transierit. — Ann. XII. 36 stetere in armis practoriae cohortes, campo, qui rel. Exempla praepositionum, ubi omissae sint vide Oudendorp. ad Caes. B. g. II. 4, 10 Drakenb. ad Liv. VI. 28, 6. Kritz. ad Sall. Cat. 49. Wunder var. lect. ex cod. Erf. p. 26 et seq. Otton. excurs V. de praepositione bis ponenda altero loco omissa ad Cic. de Fin. p. 402 — 409; sed Wex. contendit: „ubi Latini dicunt, simul — simul, ibi semper praepositio utrique nomini adiicitur"; cur non nobis ex Taciti operibus affert exemplum? Si Tacitus, scribendi concisam et obscuram brevitatem magnopere amans, multis in aliis distinctionibus, ut „partim — partim, non solum — sed etiam" — praepositionem alteri voci non admittit, nonne etiam in distinctione simul — simul, ei hoc licebat? Quod attinet ad alteram dubitationem, quam affert Wexius, coniunctionem, simul — simul et — alienam esse a consuetudine Latinorum, concedo, hanc distinctionem (simul — simul et) non usitatissimam esse; conjungi solet: simul — simul, aut: simul — et, aut: simul — que;

addebant, sed quum victoria aut cum legionibus aut sine iis parari posset, tantum modo in altero decus fuit, positum in eo, quod, si solae auxiliorum cohortes suapte vi et virtute vincerent, ducis peritiâ legionum sanguini in bello gerendo parceretur." —

sed tamen distinctio haec: simul — simul et, quod attinet ad grammaticam rationem nil offensionis habet; exempla quidem ad confirmandam meam sententiam non habeo, sed — ut vera sit — ex re ipsa evinci potest: distinguit enim Tacitus nostro loco inter duas res „frontem et latera;“ altero substantivo (latera) affert novam et graviorem quidem rationem Agricolae metus, quapropter substantivo „latera“ particulam „et“ praemittit loco „etiam“ posita: simul in frontem simul etiam in latera h. e. non solum in frontem sed etiam (quod gravius est) in latera. Causae, quas affert Wex. me non movent, ut omnium codicum scripturam deleam.[29])

CAP. XXXVI.

Taciti Agricolae.

...Agricola Batavorum cohortes ac Tungrorum duas cohortatus est: ut rem ad mucrones ac manus adducerent; quod et ipsis, vetustate militiae, exercitatum et hostibus inhabile, parva scuta „et enormes gladios gerentibus.“ Nam Britannorum gladii sine mucrone complexum armorum et in arto pugnam non tolerabant.

Haec est scriptura optimorum codicum. Wexius verba[30]) „et enormes gladios gerentibus deleri vult propter tautologiam, quae insit his in verbis. Revera Tacitus non est is, qui rerum earundem repetitionem amet; nostro loco repetit sane ea, quae iam dixerat (Britanni ingentibus gladiis et brevibus caetris), sed non sine causa. Nam profecto inest his in verbis vis orationis. Initio cap. Tacitus universe exposuerat, Britannos parva scuta et enormes gladios habuisse: maiore cum vi repetit nostro loco, quod iam dixerat: tum vero haec verba prorsus necessaria mihi videntur ad explicandam vocem „inh.“: est explicatio huius vocis, cur sit illud pugnae genus Britannis inhabile. Sed, inquit Wexius-hoc explicat verbis, quae sequuntur „nam Britannorum gladii.“ Sane, sed his verbis alteram causam affert Tacitus, cur sit illud pugnae genus inhabile Brit.

[29]) Exempla, in quibus „et“ pro „etiam“ positum est, exstant permulta non solum apud Tacitum sed etiam apud Ciceronem: cf. Cic. de orat. 2, 77 — ergo ut in oratore optimus quisque, sic „et“ in oratione firmissimum quodque sit primum. — De Fin. 5, 14 — sic et extremum omnium appetendorum — multis gradibus adscendit. Cato de Rer. 157, 8 sic et laserpitium inrasum. Tacit, Ann. I. 4, postquam provecta iam senectus aegro et corpore fatigabatur: Ann. II. 2, inridebantur et Graeci comites — Ann. II. 26, posse et Cheruscos. multisque in aliis exemplis.

[30]) Cf. Wex. proleg. p. 111.

„complexum armorum et pugnam in arto non possunt tolerare Br.“ Sed iam satis diximus de loco, qui nihil offensionis habet: ex tam levibus causis permulta essent damnanda in Tac. operibus!

CAP. XXXVI.

Taciti Agricolae.

... Interim equitum turmae fugere, covinarii peditum se proelio miscuere.“

Varia virorum doctorum de verbis illis judicia diligenter et conlegit et disquisivit Walchius p. 493. Neque vero ei contigit, ut prorsus persanaret huius loci corruptelam; inesse corruptelam, consensus fere omnium editorum est. Ritterus nuper verba „fugere covinarii“ pro glossemate habuit, et sic locum scribit: — interim equitum turmae peditum se proelio miscuere“ — Contendit enim, haec verba ab aliena manu ascripta esse.“ Scilicet romanorum equitum commemoratione admonitus glossae auctor covinariorum in acie Britannorum, quid his factum sit, supplere voluit nescius ea de re ab ipso auctore iam relatum esse.“[31]) — Profecto, audacissima est haec sententia: primum enim in omnibus cod. sic legitur: „interim equitum turmae fugere, covinarii proelio se miscuere,“ tum vero etiam causae, quas affert Ritterus, minime tam magni momenti sunt, ut locum interpolatum habeamus. — Walchii opinionem de hoc loco refutarunt jam Riglerus, Waltherus et nuper etiam Wexius, et summo quidem cum iure. Supplevit enim Walchius locum sic: — interim equitum turmae „protentis hastis in covinarios pro cornibus invehi, perruptisque impetu ordinibus, postquam diffugere covinarii, peditum se proelio miscuere. Sane, ingeniosa, sed tamen non ferenda ratiocinatio! Contendit ille, equites, qui diversi fuerint a covinariis, Britannos omnino non habuisse. Id falsum esse, recte jam Waltherus demonstravit (vide exempla apud Walth. et Wexium). —

Ego cum Doederlino, Halmio et Wexio post vocem „turmae“ „ut“ supplendum esse censeo et sic cum illis scribo: interim equitum turmae, ut fugere covinarii, peditum se proelio miscuere, et quamquam recentem terrorem intulerant, densis tamen hostium agminibus et in aequabilibus locis haerebant.“ — Valde ingeniosa est Wexii opinio de hoc loco;[32]) contendit, equitum turmas Britannos esse, at pugnantes pro Romanis, ut eorum socios-recte; demonstrat

[31]) Cf. Tac. oper. ed. Ritter tom IV. p. 140.

[32]) Cf. Wex. prolegom. p. 66 et 67.

non Britannos universos, sed Caledonios tantum cum Romanis decertasse, ut facile videmus ex Calgaci, Caledoniorum ducis, oratione cap. XXX... priores pugnae, quibus adversus Romanos varia fortuna certatum est, spem ac subsidium in nostris manibus habebant. C. XXXI. Nos integri et indomiti et in libertatem non in poenitentiam laboraturi, primo statim concursu ostendamus, quos sibi Caledonia viros seposuerit — et cap. XXXII. „exercitum contractum ex diversissimis gentibus ut secundae res tenent, ita adversae dissolvent: nisi Gallos et Germanos et, pudet dictu, Britannorum plerosque, licet dominationi alienae sanguinem commodent, diutius tamen hostes quam servos, fide et affectu teneri putatis. — In ipsa hostium acie inveniemus nostras manus; agnoscent Britanni suam causam.

CAP. XLV.

Taciti Agricolae.

Noster hic dolor, nostrum vulnus: nobis tamen longae absentiae conditione „ante quadriennium" amissus est. —

His in verbis Wexius (cf. proleg. p. 26) vocabula „ante quadriennium" pro glossa habet, dicens ex interpretamento ea enata esse. Contra Wexium est scriptura omnium codicum: tum etiam haec verba nil offensionis habent, inest in iis sana et minime contorta sententia. Sed quomodo sunt ea explicanda? Lipsius verba sic explicat, ut „quadriennium" hoc loco significet tempus, quod intercesserit inter mortem Agricolae et annum, quo hic liber scriptus sit. Haec explicatio multis editoribus placuit — nuper etiam Wexio. — Ego ei assentiri non possum: praefero cum Walchio, Walthero, Rittero et aliis interpretibus Ernestii explicationem, qui locum sic interpretatur: nobis quidem iam quadriennio ante mortuus est, quum nempe una cum uxore, quatuor annis ante mortem tuam Roma abiimus. Frustra contra haec disputat Wexius.[33]) Nam ante quadriennium idem esse, quam „quadriennio ante" satis constat, et exemplis quoque affirmari potest, quod Wexius ipse concedit. Affert Walch. Tac. Ann. XIV. 12... quae adeo sine cura deûm eveniebant, ut multos post annos Nero imperium et scelera continuaverit — et Ann. XIV. 9... hunc sui finem multos ante annos crediderat Agrippina, contemseratque. Wexius affert: Liv. XXXI. 24... „idem ibi somnus eademque negligentia erat, quae Chalcidem dies ante paucos prodiderat... XXIII. 24... relicto magistro equitum Romae, qui cum post paucos dies magistratum initurus esset, de exercitibus et

[33]) Cf. Wex. prolegom. p. 26.

rel. XXXVII. 13... eodem et Rhodia classis post dies paucos venit. — Cic. de or. II. 67... cum aliquot post annos Maximus id oppidum recepisset. Tac. Ann. I. 8... rumor incesserat paucos ante menses Augustum Planasiam vectum. Vellci. II. 31, 3... sed tamen idem hoc ante septennium in M. Antonio praetore decretum erat.[34]) Contendit quidem Wexius, his in exemplis accusativum plane suo loco positum esse, quia de re ageretur per annos complures continuata, sed idem fit nostro quoque loco verbis „ante quadriennium.“ — Ubi Tacitus per hoc tempus versatus sit — quod Wexius tam magni momenti esse judicat — pro certo dici non potest. Exstant quidem varia judicia de hac re: alii contendunt, eum in exilio abfuisse, alii praetorem eum fuisse hoc tempore, praefectum Aegypto a Domitiano impositum fuisse Tacitum, coniicit Ritterus t. IV. p. 156, sed omnia sunt dubia. Et profecto hoc non est tam magni momenti, ut omnium codicum scripturam delendam censeamus. — Pro „amissus *est*“ scribebat Rhenanus „ammissus *es*“ — et post eum multi alii editores hac in scriptura acquieverunt: in edit. Put. pr. Med. Ven. Rif. exstat script: „*e*“ in edd. Bertald. et Alc. scribitur „*est*“ — et recte hanc scripturam receperunt Pichen, Walch., Waltherus et alii interpretes: nam haec verba non ad Agricolam dicta esse, sequentibus ostenditur. Cf. Pich., Walther. et Walch. ad hunc locum.

JOS. HÜLSENBECK.

---

[34]) Handius in Tursell. I. 371, docet „ante quadriennium non esse“ — „*vor vier Jahren*“ sed „*vier Jahre zuvor*“ ambiguitatem removeri distinctione accentus, qui in adverbio acutus, in praepositione gravis sit. Fere eadem monet Walch. p. 427 ubi addit, hanc distinctionem postulare Tacitum non solum apud vocem post, ut Ann. I. 10... post Antonium Tarentino Brundusinoque foedere et nuptiis sororis illectum, sedetiam alii scriptores, ut Sall. Hist. III. p. 983... post Attalum custodem agri captivi ex rege miserrumum servorum fecere.

[illegible] Dio. Att. I, 8 [illegible] partes [illegible] quibus
Augustin[illegible] [illegible] sed [illegible]
[illegible] p. 31 [illegible]
quibus [illegible]
esse, quis [illegible] actum [illegible]
[illegible] Dubius
per [illegible]
[illegible] — [illegible] Extant quidem [illegible]
iudicia de [illegible] alii [illegible] in [illegible]
[illegible] tempore [illegible]
[illegible] p. 150, qui [illegible]
[illegible] sunt [illegible]
[illegible]
est [illegible]
[illegible] Ven.
Bif. [illegible] scripti [illegible] — et
certe [illegible] alii
interpretes: nam haec verba [illegible] sequen-
tibus ostendit. Cf. [illegible]

[illegible]

[illegible]
[illegible] Attalum [illegible]